

tori civitatis accedenti ad aliquam Ecclesiam sive regularem sive saecularem cum Magistratu sive sine illo et in habitu praelatio sufficiat ministrari aquam bened. ab aliquo sacerdote vel alio ministro per simplicem contactum aspersorii vel potius debeat porrigi aspersorium ad hoc, ut Praelatus se ipsum et alios signet etiam per aspersionem? S. C. resp.: quoad primam partem attenta consuetudine, affirmative; et quoad secundam: negative. n. 3689 die 7. Junii 1704.

ASPERSORIUM.

1) Episcopus porrig. Laicis.

Vd. *Magistratus* (praes. etc. decr. n. 4612 ad 6).

2) Laicorum.

Vd. *Laici* (associatio).

Duci civitatis Asculi in ingressu ad Ecclesias saecul. et regul. civitatis non est porrigenda aqua benedicta ab aliquo Ministro ecclesiastico cotta induto. n. 3956 ad 3 die 23. Jan. 1723.

Sacerdos cotta indutus advenientem magistratum ad Ecclesiam Colleg. Montis Cassiani in janua Ecclesiae aqua aspergat. n. 4338 ad 2 die 16. Dec. 1766.

3) Quibus primum porrig. ab Episcopo?

Episcopus aspersionem per digniorem incipere debet. n. 3551 ad 15 die 13. Mart. 1700.

Quando Episcopus Ecclesiam Regularium ingreditur a suis Canonicis et Dignitatibus associatus debet aspersionem incipere per eum, a quo accipit aspersorium. n. 3551 ad 16 die 13. Mart. 1700.

4) Quibus non porrigendum?

Non convenire, quod dignior presbyterorum et Clericorum in porta Ecclesiae Archipresbytero porrigat et mi-

nistrat Aspersorium. n. 506 die 4. Julii 1615.

Non teneri Canonicos Archipresbytero porrigere Aspersorium. n. 1544 ad 5 die 16. Sept. 1645.

Non licere Abbati et in defectu Priori Aspersorium Archidiacono porrigere. n. 3024 ad 2 die 24. Julii 1683.

Canonicus major non tenetur in ingressu Ecclesiae tradere Priori Ecclesiae Collegiatae Lucanae aspersorium pro aspergenda aqua benedicta Canonicis, Cappellanis, Clericis aliisque adstantibus. n. 3944 ad 3 die 15. Mart. 1721.

Vd. *Vicarius gen.* (Associatio etc.).

5) Quis defert?

Non licere nec ullo modo licuisse Lateranensi Caeremoniarum Magistro a manibus Acolythorum Vaticanae Basilicae aspersorium recipere, sed per eosdem Diacono Episcopo assistenti esse tradendum in Processionibus s. Marci. n. 3198 die 30. Julii 1689; n. 3215 die 22. Apr. 1690.

ASSISTENS.

1) Abbatum.

Cf. *Usus Pontificalium*.

Prior usum Pontificalium habens, contentus esse debet cum Diacono et Subdiacono missae et uno Capellano cum pluviali assistente. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbates contenti esse debent Diacono et Subdiacono et uno Monacho sive Capellano cum Pluviali, qui assistit ad librum. n. 531 die 18. Mart. 1617.

Abbatibus Olivetanis licere assistentiam unius Presbyteri. n. 1804 die 17. Mart. 1629.

Licere abbatibus Congreg. Camaldul. quando solemniter celebrant, ut assi-

LUCAN.

Percipientes quam maxime Aeditui ac Beneficiati Eccl. S. Mariae vulgo in Foro Civitatis Lucanae, ut in eadem Ecclesia quoad S. Functiones singula ordinate fiant, S. R. C. humillime rogarunt decerni, utrum in Missis solemnibus, quando vel Canonicus, vel aliqua ex Dignitatibus celebrant, praeter Diaconum et Subdiaconum alter Sacerdos Pluviali indutus valeat assistere? Et S. eadem C. audita relatione a subscripto Secretario facta, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: „Juxta alias decreta admittatur Assistens in Missa solemnibus ubi probari potest consuetudo.“

Atque ita rescripsit. Die 17. Jun. 1843. n. 4970.

DREPANITAN.

In Ordinariis S. R. Comitibus superiori anno 1846 X. Kal. Jun. habitis relatae quum fuerint preces Archipresbyteri et Canonicorum Colleg. Eccl. S. Petri in Civitate Drepanitana erectae, quibus exponebant, eximmemorabili consuetudine Colleg. ipsa in Eccl. Archipresbyterum vel alterum Canonicum solemniter celebrantem, praeter Diaconum et Subdiaconum adhibere solere Presbyterum assistentem Pluviali indutum, ac proinde enixe rogabant, ut consuetudinem hujusmodi confirmare dignaretur: placuit Emis. et Rmis P. S. tuendis Ritibus praepositis nil in re decernere, quin Rmi. Ep. Votum exquireretur, ac proinde rescriptum fuit: „Episcopo pro informatione, qui audito Capitulo in scriptis doceat super asserta consuetudine.“ S. C. mandatis religiosissime obsequens Ep. in scriptis et voce audito Capitulo, ac rebus mature perpensis, S. C. certiore reddidit, se nunquam de tali formalem, vel utcumque protulisse sententiam, verum ad calcem direc-

stentia unius Presbyteri. n. 956 die 21. Aug. 1632.

2) Canonicorum.

Vd. *Biretum* (quis tenet.); *Assistens Dign.* (decr. n. 4079); *Usus Pontifical.* (praecipue decr. n. 4622 nota).

Canonicos Ecclesiae Mantuanae ex immemorabili consuetudine solitos esse, praeter Diaconum et Subdiaconum unum Cappellanum assistentem cum pluviali habere, quam assistentiam Liber Caeremon. solis *Praelatis* non Canonicis concedit. Quid faciendum? S. R. C. resp.: Librum Caeremon. in praemissis non obstat. n. 243 die 19. Jun. 1604.

Canonicis tam in Cathedrali quam extra missam cantantibus tolerari non potest assistens cum Pluviali. n. 3597 ad 14 die 10. Sept. 1701; n. 4978 ad 2 die 7. Dec. 1844.

Canonicis Cathedralis Bituntinae sol. celebrantibus non debetur assistentia per Praefectum caeremoniar. sed ea praestanda est per chori magistros. n. 4064 ad 19 die 31. Aug. 1737.

Cum Canonici et Capitulum Cathedral. Certanen. ex usu et consuetudine approbata sub dieb. 19. Junii 1602 et 1604 (Vd. decr. n. 243) missam sol. celebraverint in Cathedrali et in Ecclesiis s. Margaritae Ordin. Minorum et s. Antonii abb. Ord. Servorum cum presbytero assist. pluviali induto, petunt dictum presbyterum etiam in Ecclesiis Monial., aliisque civitatis et Dioecesis. S. C. Oratorum instantiae juxta petita benigne annuit n. 4111 die 29. Maii 1741.

Dignitates et Canonici Colleg. Aloanae sol. celebrantes uti possunt presbytero assistente. n. 4189 ad 1 die 4. Mart. 1747.

In Colleg. civitatis Baren. Canonicus sol. celebranti non licet assumere Beneficiatum, qui Officium Presbyteri assist. cum pluviali peragit palmatoriam deferendo. n. 4863 ad 1 die 3. Aug. 1839.

torii Divini Officii ipsius anni 1846 apposuisse aliqua Decreta S. R. C., quae ad abusus ubicunque existentes radicitus evellendos condita fuerant, inter quae illa etiam accensebantur, quae Presbyterum assistentem prohibent, ut legum facta facili cognitione quisque ad leges ipsas apprimè servandas prompto docilique animo excitaretur.

Neque destitit idem Anlistes curam omnem, diligentiamque impendere in perquirendo Capituli Archivio, ac etiam requirendo Rmo. Mazarien. Ep., inter cujus Dioecesis limites hodierna Drepanitana Dioec. includebatur, si forte aliquod monumentum extaret indulti Capitulo collegiatae S. Petri concessi pro Presbytero assistente in Missis solemnibus; sed incassa cessit quaecumque diligentia, ac proinde dilucide apparet omnino abusive consuetudinem hujusmodi fuisse inductam, atque ad superiorem usque annum servatam; eo vel magis quia in Syn. Dioecesana Mazarii celebrata de anno 1735 saltem implicite fuit abrogata. In illa siquidem Synodo statutum fuit, ut tam in Cath. Mazarien., quam in ceteris respective Eccl. (tunc temporis Drepanitanae hodiernae Dioec. Ecclesiae includebantur in Dioec. Mazar.) omnimode servetur Caeremoniale Rom., omnem et quamcumque in contrarium Consuetudinem abrogantes, ac in Titulo *de Sacrificio Missae* inductum fuit, ut Sacerdotes nullos alios Ritus aut Caeremonias in Missae celebratione adhiberent praeter eas, quae in Missali Rom. praescribuntur. Quae Singula a Rmo. Antistite exposita una cum Precibus Capituli Colleg. S. Petri Eccl. in novo Ordinario Coetu S. R. C. ad Quirinale hodierno die habito quum fideliter de more retulerit subscriptus Secretarius, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, dilu-

cide comperuere abusive omnino, et contra alias Decreta servatam fuisse consuetudinem Presbyteri assistentis in Colleg. S. Petri Eccl. Civitatis Drepani, ac proinde merito commendantes Rmi. Ep. pastorem vigilantiam ad convellendos quoscumque abusus rescribendum censuerunt: „Servetur Decretum Ep., si adsit: alias serventur Decreta jam lata in Voto ejusdem Ep.“ n. 5070 die 27. Febr. 1847.

3) Dignitatum.

Cf. *Suffraganeus; Diaconus missae.*

Prima Dignitas Ecclesiae Cathedr. Nicien. ab antiquissimo tempore in Missa sol. ultra Diaconum et Subdiaconum habuit Cappellanum assistentem cum Pluviali. S. C. resp.: *servari solitum.* n. 884 die 7. Dec. 1630.

Ad dubium: an Dignitatibus solemniter celebrantibus presbyter assistens Pluviali indutus assistat? S. C. resp.: Servari consuetudinem legitime tamen praescriptam. n. 1972 ad 3 die 29. Mart. 1659.

Priori Ecclesiae Collegiatae Lucanae solemniter celebranti ultra Diaconum et Subdiaconum non tenetur assistere tertius Canonicus Pluviali indutus. n. 3924 ad 5 die 15. Mart. 1721.; n. 4098 ad 5 die 28. Nov. 1739.

In sol. anni festivitibus non licet Archipresbytero Ecclesiae Colleg. Oppidi Bronae ultra assistentiam Diaconi et Subd. habere in missis etiam assistentiam presbyteri cum pluviali. n. 3962 ad 3 die 7. Julii 1725.

Ad dubium: an in missis sol. praeter Episcopos et Praelatos infer. liceat quibuscumque Dignitatibus vel Canonicis Cath. vel Colleg. seu alio characterè praeditis, necnon Regularibus ultra Diaconum et Subd. adhibere presbyterum cum pluviali assistentem... ideoque usum talem in praxim deductum interdicendum? S. C. resp.: *Negative.* n. 3119 ad 2 die 20. Apr. 1686.

Non competere assistentiam cum Pluviali Praeposito s. Miniati celebranti. n. 3387 die 7. Apr. 1696.

Ad dubium: An Dignitatibus Ecclesiae s. Nicolai missam sol. celebrantibus debeatur Presbyter assistens cum pluviali, et: an debeat esse unus ex Cappellanis seu potius extra numerum? S. C. resp.: Affirmative in casu de quo agitur; coadjuventur probationes et interim assistat unus ex Cappellanis sine praejudicio jurium ambarum partium et per modum provisionis. n. 3862 ad 1 et 2 die 23. Sept. 1713.

Cum Canonici Colleg. Liburni Dioec. Pisanae exposuerint, Praepositum indulto utendi mitra et baculo aliisque insigniis pontif. potiri et gaudere, supplicatum fuit, ut ipse in posterum inter missarum solemnium uno Canonico assistenti pluviali induto uti possit. S. C. resp.: Facultatem petitam Oratoribus, dummodo accedat expressus consensus archiepiscopi, posse concedi, ita tamen, ut eorum Praeposito pontif. ornamentis insignito Canonicus cum pluviali ministret, Canonicis autem non alter Canonicus, sed unus ex Ecclesiae ministris cum pluviali pariter inseruiat, si SSmo. visum fuerit, qui etiam benigne annuit. n. 4079 die 3. Oct. 1738.

4) Episcopi.

a) In Cathedrali.

Cf. *Canonicus non consecratus; Diaconi assist.* (vertunt fol.); *Sedes assistentium Episcopo; Diaconi assist.* (porrig. SSmum.). *Diaconus* (ministr. incens.); *Incensum* (quis).

Episcopo pontificaliter celebranti assistere oportet, Pluviali indutum, Priorem Canonicorum, digniorem Capituli. n. 15 ad 12 die 16. Mart. 1591; n. 21 ad 1 die 23. Mart. 1592.

Obtinentem primam Dignitatem in Ordine Presbyterali, Pluviali indutum, fungi debere Assistentis munere, eo vero legitime impedito digniorem

de Capitulo in Ordine presbyterali praesentem debere in ejus locum succedere. Debere omnino Cappellanum Episcopo librum manibus sustinere. Primam vero Dignitatem cum pluviali assistentem debere ad dexteram Episcopi parumper caput supponere ad librum, quem Cappellanus sustinet, dum in sede Episcopus *intonat Hymnum Gloria, cantat Orationem, Credo et Dom. vobiscum* ad Offertorium. Sed quando Episcopus *legit* Epistolam, Gradualet et Evangelium, prima Dignitas nihil aliud agens stabit in loco suo erectus. Digito autem indicare debet legenda in libro, quando Episcopo in *throno* assistenti porrigat, eundemquo *ibi* thurificet. n. 21 ad 6 et ejusd. num. infra 7 die 23. Mart. 1592; n. 33 ad 1. 17. Nov. 1592; n. 650 ad 1 die 18. Julii 1626; n. 662 die 21. Nov. 1626.

In officio assistentiae apud Episcopum solemniter celebrantem vocandam esse primam Dignitatem, qui, ut praesupponitur, *Archidiaconus*, in ordine presbyterali constitutus est; si Archidiaconus non erit presbyter, ipse a dexteris Episcopi officium primi Diaconi assistentis exercet, a sinistris vero primus Canonicus immediate sedens post Primicerium. n. 215 die 6. Sept. 1603.

In hoc casu *Archipresbyter* officium presbyteri assistentis exercet; Episcopo vero non celebrante, sed tantum *praesente* semper ab Archipresbytero officium presbyteri assistentis agendum erit. *Ibidem.*

Consuetudinem *immemorabilem* (quatenus adsit) Ecclesiae Montis Regalis Taurinen. esse servandam, et Archipresbyterum, licet *Archidiaconus prima* Dignitas est, in sua possessione assistendi manutenendum esse. n. 347 die 28. Apr. 1607.

Ipsè Archidiaconus tamquam primus

Canonicus seu prima vel etiam unica Dignitas assistat Episcopo celebranti; et quatenus id recuset, cogendum esse ab Episcopo debitis remediis... n. 397 die 10. Jan. 1609; n. 1599 die 21. Nov. 1648.

Servandam esse formam libri Caeremon., ut, quando Episcopus solemniter celebrat, prima Dignitas ei assistat, ut in libro Caerem. lib. I. c. VII. de Officio Presbyteri assistentis tam in Vesperis quam in Missa cavetur. n. 399 die 10. Jan. 1609.

Non duos tantum Canonicos assistentes hinc inde assistere debere Archiepiscopo celebranti vel divinis officiis assistenti, sed tertium etiam Presbyterum assistentem eidem pariter convenire juxta dispositionem libri Caeremonialis. n. 414 die 24. Oct. 1609.

Inter omnes Episcopi Ministros primus et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis quam Dignitatibus... nec refert quo nomine nuncupetur... sed attenditur, ut sit dignior omnino ex omnibus in Sacerdotio constitutis. n. 429 die 7. Aug. 1610.

Officium Presbyteri assistentis pertinet ad primum digniorem de Capitulo, quocumque nomine appelletur, sive Archidiaconus sive Archypresbyter etc. n. 523 die 28. Maji 1616; n. 1083 ad 1 die 24. Julii 1638.

Ejus munus in die Purif. B. V. M. vd. Purif. B. V. M.

Decanum Cathedr. Ecclesiae... teneri ad assistendum Episcopo pontificaliter celebranti atque ad id opportunis remediis ac etiam Censuris ab Episcopo compellendum esse. n. 589 die 12. Dec. 1620.

Aut Praebendae sunt distinctae in presbyterales et diaconales et tunc Episcopo solemniter celebranti assistere debere pro Presbytero assistente digniorem de Capitulo, quocumque no-

mine nuncupetur, dummodo sit in sacerdotio constitutus; Episcopo vero tantum Divinis praesenti pro Presbytero ass. inservire debere digniorem Canonicum post Dignitates; aut Praebendae non sunt distinctae, et tunc Episcopo sive celebranti sive tantum praesenti pro Presbytero assistente inservire debere digniorem de Capitulo juxta Caeremon. (Lib. I. c. VII et VIII.) n. 974 die 15. Dec. 1632.

Quando stat vel genufl. Assistens? Vd. Diaconi assist. (quando stant etc.).

In Ecclesia Olmucen. hactenus Archidiaconus, tertia Dignitas, presbyterum assistentem egit, Caeremoniale vero ad id designet primam Dignitatem; haec consuetudo est servanda? S. C. resp.: Servandam esse. n. 2325 ad 4 die 20. Junii 1665.

Praemisso, quod in Ecclesia Cathedrali Lauretana adsit laudabilis et immemorabilis consuetudo, quod quatuor Dignitates nullum Officium faciant, quando Episcopus assistit cum cappa, et quod non adsit in dicta Cathedrali distinctio Ordinis Presbyteralis vel Diaconalis: quaesitum fuit humiliter a S. R. C. declarari:

An Episcopo solemniter celebranti vel cum cappa tantum assistenti antiquiori Canonico competat dumtaxat officium primi Presbyteri, vel potius Diaconi assistentis in utroque casu?

Et S. R. C. respondit: „Antiquiori Canonico in casu, de quo agitur, competere tantum officium Presbyteri assistentis.“ Et ita declaravit. n. 3562 die 22. Maji 1700.

Ad dubium: 1. Num in Cathedralibus, in quibus Dignitates et Canonici existunt, prima Dignitas semper debeat esse Presbyter assistens, quando Episcopus Missam et Vesperas sol. celebrat, sive hoc peragat diebus 1. vel 2. cl. vel ferialibus?

2. An ipsamet prima Dignitas debeat quoque esse Presbyter assistens, quando

Episcopus benedicit Candelas, Cineres, Palmas, ita ut dignior Canonicus post Dignitates debeat tantum esse Presbyter assistens Episcopo non celebrante, sed Vesperis aut Missae sol. per alterum cantatae praesente? S. C. resp.:

Ad 1: Affirmative;

Ad 2: Affirmative.

n. 4633 die 22. Sept. 1827.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Quoad assistentiam praestandam Episcopo pontificaliter celebranti, vel in Pontificalibus sacris assistenti Mysteriorum, clara est Caeremonialis Episcoporum dispositio, nec mihi datum est intelligere, unde orta sit petitaque dubitandi ratio, propter quam duo dubia discutienda definiendaque Sac. Rit. Congregationi proposita fuerunt. Porro de Presbytero assistente, de quo dumtaxat quaestio est, praefatum Caeremoniale lib. 1. cap. 7. num. 1. ita disponit, et generalem dat regulam: *inter omnes Episcopi ministros, qui ei in Divinis et assistunt et serviunt, primus et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis, quam Dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent, nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter, ut digne et decenter officium suum exercere valeat, et oportune Episcopo rem divinam agendi ministrare possit.* Quid clarius, quid evidentius decerni poterat ad designandam certam personam, quae Episcopo celebraturo praebeat assistentiam?

Atqui dignior ex omnibus, qui in Cathedrali Bugellen. sedent, in Choro est prima Dignitas, quocumque nomine ab aliis, si quae insuper sunt, distinguatur, palam fit, rectaque consequitur ad ipsam pertinere officium Presbyteri assistentis. Id tam verum est, ut in eadem Caeremonialis dispositione adhibeatur dictio *debet*, quae praecep-

tum importat, ideo ab hoc exercitio nequit se eximere prima Dignitas et alteri qui sequitur locum cedere, nisi legitime sit impeditus.

Verumtamen Episcopi non semper Missam in Pontificalibus celebrant et Vesperas decantant, imo frequentius Divinis cum Cappa intersunt Officiis.

Cujusnam ergo erit hoc in casu munus assistentiae? Provisum id video in eodem Caeremoniali. Ibidem num. 7: „Episcopo vero non celebrante, sed Vesperis, aut Missae solemniter per alterum cantatae praesente, tunc Presbyter Canonicus dignior post Dignitates assistat, prout et duo Canonici Diaconi in habitu canonicali sine paramentis.“

Ex hisce Caeremonialis verbis duo deducuntur, videlicet: ad Dignitatem spectare assistentiam Episcopo Sacra pontificaliter peragenti, digniori ex Canonicis, quando Episcopus suam tantummodo praestat assistentiam, quo in casu tam ipse Canonicus, quam duo assistentes Diaconi in habitu canonicali sine paramentis respectivis officiis funguntur.

Praefatis Caeremonialis libri dispositionibus apprime consona sunt S. R. C. Decreta. Cum enim Dignitates Cathedralis Monopolitanae quaesivissent declarari, quis inservire debeat Episcopo solemniter celebranti pro Presbytero assistente, et quis, quando Episcopus non celebrat sed tantum Divinis praesens est? sub die 15. Dec. 1632 S. C. respondit: „Aut Praebendae sunt distinctae in Presbyterales et Diaconales; et tunc Episcopo solemniter celebranti assistere debere pro Presbytero assistente, quocumque nomine nuncupetur, dummodo sit in Sacerdotio constitutus; Episcopo vero non celebranti, sed tantum praesenti, pro Presbytero assistente inservire debere digniorem Canonicum post Dignitates. Aut Praebendae non sunt distinctae, et tunc Episcopo sive solemniter